



L. D. B. V.
DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,

DE
SANITATIS CONSER-
VATIONE ET RESTAVRA-
TIONE PER AERIS ET LOCI
MVTATIONEM,

QVAM
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,
PRÆNOBILI, CONSVLTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO VIRO,
DN. D. HERMAN. PAVLO JVCH,

SACRI PALATII CAESAREI COMITE, FACVLTATIS MEDICAE SENIORE, PA-
THOL. ATQVE PRAX. PROF. PVBL. ET ASSESSORE PRIMARIO, SERENISS.
SAX. DVC. VINARIENSIS, ISENACENSIS ET GOTHANI CONSIL.
AVLICO ET ARCHIATRO, N. N. ACAD. CÆSAR.
NAT. CVRIOS. COLLEGA,

AMPLISSIMO MEDICORVM ORDINE IN PER-ANTIQVA
HIERANA GRATIOSE INDVLGENTE,
PRÆSIDE

DN. D. IVONE JOANNE STAHLIO,

EMINENT. ELECT. MOGVNT. CONSIL. ET ARCHIAT. FAC. MED. ASSESS. ORD.
ANATOM. CHIRVVG. ET BOTAN. PROF. PVBL. ORD. ET P. T. DECANO,
NEC NON CIVITATIS CONSULE,

PATRONO AC PROMOTORE SVO COLENDISSIMO,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMSIQVE IN ARTE SALVTARI PRIVILEGIIS
ATQVE IMMVNITATIBVS
RITE AC SOLENNITER ADIPISCENDIS,
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET
AVTOR AC RESPONDENS

PAVLVS FRANCISCVS BERNARDVS LEMKE,

Duderstadiensis.

IN AVDITORIO MAIORI COLLEGII MAJORIS HORIS CONSVETIS
DIE XXIII. AVGVSTI M DCC XXXVI.

ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad. Typogr.



TRATATO IN OCVRVS MEDICIS

CAPIVLVS PRIMVS
DE VITIA ET MORBIS
TUMORIBVS ACUTIS

IN VNIERSITATE MAGNIFICA

DE VITIA ET MORBIS
TUMORIBVS ACUTIS
CAPIVLVS SECUNDVS
DE VITIA ET MORBIS
TUMORIBVS ACUTIS

CAPIVLVS TERTIVS
DE VITIA ET MORBIS
TUMORIBVS ACUTIS

CAPIVLVS QVARTVS
DE VITIA ET MORBIS
TUMORIBVS ACUTIS

CAPIVLVS QVINTVS
DE VITIA ET MORBIS
TUMORIBVS ACUTIS

CAPIVLVS SEXTVS
DE VITIA ET MORBIS
TUMORIBVS ACUTIS





PROÆMIUM.



Abent utique omnes corporis hu-
mani partes commune quoddam
vinculum, satisque exacta cogna-
tione & consensione inter se con-
tinentur, dum nempe solidæ mu-
tua ad continuandum, sub ipso vitæ exordio
inchoatum motum, gaudent impulsione, hanc-
que quotidiana alimentorum ingestione, sumto
paulatim majori incremento confirmant magis
& obtento tandem convenienti robore acrius
adhuc intendunt, justamque sic maturitatem
consecutæ vegetissimam monstrant, ingrave-
scente autem senectute, viribusque sensim de-
crescentibus eandem iterum successive demit-
tunt, variisque externis injuriis, laboribus, mor-
bis

bis aliisque causis labefactata & diuturniori ac continuo attritu fracta, & tono destituta suo, segniores experiuntur, imo denique ob subsequenter exinde minimorum vasculorum subsidentiam, & contractionem, ductusque meatuum immutatos, undique exarescentes & omni nutrimento destituta, prorsus amittunt, suaque sic morte defunguntur. Necessse igitur est, ut fluida corporis istius partes, utpote ex congerie variarum particularum, tam mole quam indole & figura discrepantium atque ideo ad secessionem & dissolutionem semel inita mixtionis continuo inclinantium, composita, solidas omnes, ex vasculis & canaliculis arctius vel laxius coherentibus & hinc inde in magna copia excurrentibus, innumerisque fibrillis, miro inter se modo contortis, extructas, blando vitali motu agitatae, continuo interluant, simulque, dum in poris atque meatibus illarum comprimuntur, proprii elateris vigore easdem ad vividos motus excitent, & harum contractione & reactione vicissim debite impellantur, ac circumagitentur, sicque per proportionatum hunc impulsam & mutuum motum,

tum, sine quo nihil in corpore peragi & perfici potest, & *vita* & *sanitas* nostra producat & conservetur.

Hujus autem præstantissimi mortalium thesauri, *sanitatis* nempe *integra*, causam proximam, juxta modo allegatas circumstantias, jure meritoque constituunt partim humores in justa proportione constituti, partim legitima solidarum structura, conformatio & tonus, quæ omnia deinde per legitimum rerum non naturalium usum, & per ea, quæ tanquam cognata his connumerari solent, vivendi nempe genus, clima, situm regionum & locorum, balnea, vestimenta, aliasque externas res sustinentur, ita tamen, ut una harum præ altera vitam pariter ac sanitatem præsentius tueri, & vicissim quoque facilius lædere, imo destruere valeat, prout hoc luculentissime demonstrat universale illud Macro- & Microcosmum undique ambiens elementum, *Aër* nimirum atmosphaericus, sine cujus usura nullum ex animantibus semel in lucem editis vita diu perfrui potest: Hic enim si à naturali & convenienti sua deflectit temperatura, si repentinas, pro diversa

A 3

vento.

ventorum ac tempestatum natura, exhibet mutationes, corpora utique præsentissime afficit, illorumque pariter ac ipsas animi functiones gravissime alterat turbat & sic perniciosissimorum ac sæpe epidemicorum morborum causa existit; è contra vero, ubi purus ac temperatus ille fuerit, sæpissime medicinam præbet contra gravissimos morbos & ad tuendam valetudinem efficacissimus observatur, ut etiam propterea jam olim antiquissimi Medici in pertinacioribus affectibus, omnia fere medicamenta eludentibus, *mutationem aëris, & migrationem ex una terra in aliam, magno cum ægrotantium emolumento commendaverint, testimonio HIPPOCRATIS, qui Lib. IV. Epidem. sect. V. t. 19. in morbis longis solum vertere suadet; nec non EROTIANI, qui migrationem interdum medicinam & mutationem loci in morbis sæpe salutiferam esse adstruit; itemque AVICENNÆ, qui lib. I. tit. IV. p. 72. ex generibus medicationum esse scribit, mutationem de terra ad terram & de aëre ad aërem.*

Cum ergo tantum ad corporis robur conservandum & valetudinem adversam abigendam

dam valeat *aëris* & *loci mutatio*, imo plus non raro efficiat, quam pretiosissima variorum remedium genera, merito ejusdem commoda & salubritatem in præfenti specimine inaugurali fufius delineare & explicare in animum induxi. Deum autem T. O. M. fupplex prius veneror, ut conatibus hifce ex alto benedicere, eosque in Nominis fui honorem & proximi salutem dirigere quam clementiffime velit.

§. I.

Neminem equidem fore arbitror, qui vulgatam illam paræmiam, quæ communiffime in omnium, præcipue autem ftolidæ plebis ore circumfertur, non audierit: *omnis mutatio periculofa*; complures autem, imo fere omnes illorum, quibus de meliori luto finxit præcordia Titan, fuum mihi in eo haud denegaturos effe adfenfum, certiffime confido, quod nimirum, fi magna, præceps fubitanea extrema & in deterius vergens fuerit qualifcunque mutatio, utique periculi plena cenfenda, nec unquam fecure propterea fuadenda fit; è contra vero quæ moderate, lente, fuccefive & prudenter fufcipitur, ita quidem, ut ex prifino pejori ftatu in meliorem fiat tranfitus, nunquam damnari aut prohiberi, quin potius omnibus modis commendari & injungi debeat, quoniam effectus talem mutationem communiffime excipientes, quotidiana experientia teftè, plerumque falutares funt, fatisque fufficienter jam euilibet, imprimis autem Medicæ artis gnaro, patet, quantum & confervandæ & reftaurandæ faluti corporali conferant tam ætatis, quam vitæ generis ac diætæ, maxime autem conjunctæ *fmul locorum terrarum*.

terrarumque mutationes, quarum idcirco salubritatem & emolumenta, in corpus tam sanum, quam ægrotum redundantia, fufius nunc demonstrare allaborabo.

§. II.

Antequam vero ad id negotii me accingo, paucis prius præmonendum esse duco, quod in genere per *loci mutationem* qualemcunque intelligamus *migrationem, qua ex uno loco in alterum plus minusve diffitum, ex hoc climate in aliud magis aut minus distinctum, decenti tempore & modo instituitur*: Ast, cum exinde statim appareat, quod non omnis ejusmodi mutatio loci salutarem & laudabilem post se trahere queat effectum, sed talem saltem de ea expectare liceat, quæ ex regione minus salubri, aut plane morbifica, in aliam melius constitutam & sanitati magis faventem, quacunque de causa suscipitur; merito in ipso statim limine hujus tractationis requisita locorum salubrium paucis indicanda erunt, antequam insignem ipsorum utilitatem in confirmatione & restitutione sanitatis potissimum sese manifestantem, juste delineare suscipimus. Plurimum ergo ad regionum salubritatem conferre benigniorem ipsarum situm, debitam aëris temperiem, cœlique communiter magis sereni, ac syderum clementiam, cuilibet fere notum est, ita ut, si cum aliis, solo nempe hujusque effluvis, alimentis & reliquis vitæ humanæ conducibilibus hæc omnia concordaverint, sedem utique sanitati & Longævitati conformem præbere valeant. Licet enim unicum saltem cœlum orbem nostrum undiquaque ambiat, non ubiuis tamen & semper eadem illius est facies atque conditio, sed pro diversitate loci, cursus, motus, altitudinis & conjunctionis astrorum, maxime vero Solis & Lunæ, diversa admodum observatur, variosque hinc, interveniente aethere, causatur motus in locis nostris inferioribus, sicque temperaturas regionum hominumque adeo discrepantes producit.

§. III.

Multum dein etiam salubritatem regionum adjuvat, si *medicioribus ac montanis locis hinc & inde ornatae apparent: Talia enim plerumque variorum vegetabilium, florum, fructuum.*

Etuumque balsamicorum, odoriferorum atque penetrantioris energia fertilissima esse deprehendimus, quæ omnia amica & gratissima sua suavitate atmosphæram illic afficiunt, & commodissimas atque saluberrimas hominum habitationes, tum injugis, tum ad latera sui præbent, ne dicam de aliis ipsorum commodis, quorum intuitu pariter reliquis terræ tractibus præferri merentur, aquarum nimirum & fontium puriorum præsentia, fructuum omnis generis Laudatissimorum ubertate, vinorum præstantia, diversorum animantium, lignorum etiam sylvarumque copia, pascuorum salubritate, quæ omnia homines locorum istorum inhabitatores mirum quantum recreant, sicque ad sanitatis ipsorum conservacionem & longævitatem non parum conferunt; siquidem etiam propterea cernimus monticolas, montes imprimis mediocriter elatos & liberiori aëris accessui expositos, cæteris ut plurimum robustiores, saniores, alacriores & vivaciores existere, cum AVICENNA per experientiam ita Loquente DEODATO, *Pant. hygiast. Lib. I. cap. 19.* istudque uberius confirmante *Excell. HOFFMANNO, Diss. de peregr. sanit. caus. insit. cap. III. §. 4.*

§. IV.

Proinde etiam diversa montium altitudo, situsque ad mundi plagas, radiorum solarium ventorumque hinc inde spirantium atque in hos illidentium nec non ipsius auræ atmospericæ nativam virtutem insigniter alterant ac limitant, plerumque non sine insigni commodo, prout nimirum urbes, oppida, arces & pagi ad hoc vel illud montium latus situm suum obtinent. Inprimis autem sylvis & nemoribus Luxuriantes montes, è fagis præsertim & betulis atque arboribus & fructibus gummosis, resinosis ac balsamicis constantibus sanitati incremento sunt maximo, partim quod effluviis suis fragrantioribus atmosphæram insigniter alterant & temperant, partim etiam impetuosiorum & irregularium quorumcunque ventorum allisus infringunt & moderant; quod e contra vix unquam sperandum est in locis declivibus, palustribus ac cœnosis, ubi si qua occurrunt sylvæ, plerumque

B

denſio-

denfiores, arboribus proceris, quercubus potiffimum in-
 ftra funt, adeoque folis & lunæ radios à tellure arcenr, ac ex
 fundo humido, vaporofa cœnofoque auram atmofphæricam
 craffam, fœtidam, putridam, nebulofam ac turbidam civita-
 tibus & habitaculis, in plano præfertim, adjacentibus, com-
 municant, fimulque hujus motum liberiozem, cujus ope
 omnis corruptio & fœtor alias præcavetur, impediunt aut
 plane fupprimunt.

§. V.

Denique etiam fluvii atque torrentes ex montibus præ-
 fertim petrofis & arenofis fcaturientes, ac poftmodum loca
 arenofa & faxea alluentes & tranfeuntes, aerem atmofphæri-
 cum vicinum quadantenus agitando & humectando admo-
 dum falubrem reddunt, dummodo non per alia paluftria &
 cœnofa vehuntur loca & nimium lento motu profluunt,
 quoniam alias elevatis exinde vaporibus tetrif, magis nocent,
 prout hoc experientia quotidiana abunde teftatur, & a VAR-
 RONE Lib. I. de re ruflica cap. 12. ex AVICENNA & RHASI con-
 firmatur. Recte igitur CARDANVS Lib. II. contrad. inquit:
*Flumina velociter currentia aërem attenuant, faciuntque corpora
 tenuia, macilentia, mobilia; --- cœnofa vero, & qua tarde moven-
 tur ut Padus, corpora minus valida reddunt & fana.* Id enim
 commodi ordinarie flumina rapidiora impertiuntur, ut fub
 vaporum fpecie elevatæ particule aquæ, humectando ali-
 qualiter infrigident aeris mixti regionem, hæque ratione
 ardentiffimus folis æftus temporibus æftivis mitigetur, & alia
 heterogenea ac peregrina effluvia, ficciore tempeftate fæpe
 magis nociva & maligna, e poris aeris, ope dictorum vapor-
 um, cum iisdem intimius fele commifcentium corrigantur,
 ficque immutata pereant nec ullo amplius modo nocere va-
 leant.

§. VI.

Ejusmodi falubria autem loca, fi non omnibus faltem
 plurimis hætenus enumeratorum requifitorum inftituta, ve-
 teres pariter ac moderni Medici fedulo a reliquis diftinguere
 & urgente neceffitate agrif fuis commendare fuerunt.

Sic

Sic jam olim non solum universa Hispania in genere, sed & urbs Granata &, quæ hodierna sedes regia est, Madritum, in specie ob salubritatem mirum in modum celebrata sunt. de ista NONIVS Tr. de Hispan. p. 16. ita scribit: *An cæli temperiem queris? tota cæ vitalis ac perennis salubritatis est, adeo ut beatorum hic felices sedes & campos Elystos Homerus statuerit, teste Strabone, quippe nec violento aestu excoquitur, aut nimio frigore tellus aduritur, non ventorum procellis aut gravi paludum nebula obnoxia, sed aura est suda serenaque.* De illa verò idem nominatus Auctor p. 87. hæc refert: *Urbs Granata Hispania gaudet aeris temperie saluberrima, nec nimias austrinis obnoxia aestibus, aut arctois frigoribus objecta, sed media axis utriusque vernanteque gaudet temperie.* Hanc tandem omnes in universum Hispani saluberrimo aère atque excellentissimis aquis perfrui asserunt, ut propterea Hispaniarum Reges, posthabita Toleti urbe, quæ veterum Regum antiquissima sedes fuit, situque cæteroquin omni ex parte admodum opportuno gaudet, in eadem solium collocaverint.

§. VII.

Similis quoque imo adhuc major fere salubritatis gradus assignatur aëri Bohemico, quippe de quo BOVS�AVS BALBINVS *Miscell. Reg. Bohem. Dec. I. cap. 5.* refert, quod Reges Bohemi, licet infirma veletudine intra regnum hocce devenerint, ut plurimum tamen elapso brevi temporis spatio, a gravioribus etiam morbis liberati iterum fuerint, testantibus id exemplis Sigismundi, Maximiliani II. Matthiæ & Ferdinandi III. Cæsarium, ac Anna conjugis Matthiæ, è contra vero quotiescunque tales Reges se jamjam ægrotos vel in Austriam vel in Hungariam, aut aliorum deportari curaverint, communitè brevi post eosdem obiisse. Sic & Brasilia salubritatem summis pariter Laudibus extollit GVILIELM. PISO in *Histor. nat. & med.* his verbis: *perquam mature pubescunt incole, senescunt tarde, idque sine omni canitie, aut calvitie, quo fit, quod longe ultra centesimum ætatis annum viridi senectæ non Americani tantum, sed & ipsi Europæi fruuntur, totumque adeo territorium Marobrobium dici mereatur non aliter ac si fervor juvenilis frigore senectus.*

ris repressus temperatiorem illam in calidis hisce plagis efficeret. Neque enim solis calore torretur hæc terra, neque squalore vel aquarum penuria reficiatur, neque frigore extinguitur, sed rore perpetuo imbribusque multis ac fontibus irrigatur. Abundat balsamis nativis, oleis, mellibus non minus generis herbarumque ac radicum medicarum & ad tuendam valetudinem potentium ferax est.

§. VIII.

Eandem salubritatis laudem antiquissimis jam temporibus reportavit Alexandria, Egypti metropolis, unde etiam phthisicos præprimis, teste CÆLSO, illuc ablegare solebant veteres Medici, quoniam juxta CVRTII relationem nullo fere die Sol obscuratus & nubilosus ibidem apparet, ob aerem perpetuo tranquillum: plura Vid. apud PLIN. L. V. Ep. 19. CELLARIUM in Antiquit. med. p. 38. & RHODIGINUM Lib. XVIII. Cap. 38. porro etiam Italia quoad maximam sui partem semper aliis regionibus salubrior æstimata fuit. Roma equidem Laude hac semper caruit, indeque factum est, quod pristini ejus incolæ, magnates præcipue & consules, ab æstivo solstitio ad autumnale æquinoctium usque imo diutius interdum agrorum secessus & ruris otium quæsiverint, utque his tanto commodius fruerentur, amœnissimas & saluberimas villas sibi undique extrui curaverint, quales fuerunt *Albana*, *Tusculana* *Ciceronis*, *Nomentana* *Senecæ* &c. in quibus non modo creberrime pernoctabant, sed & per satis Longum tempus sanitatis causa commemorabantur, item prædia illa *Tiburtina*, a MARTIALI gelidæ tiburis arces dicta, in quibus æstate potissimum commorabantur, quoniam tunc cælum, non adeo æstu torridum, ibidem refrigeria dabat; & tandem *Bajæ*, ad montis Campaniæ radicem sitæ, ubi hybernium tempus sæpius transigebant, quoniam tunc semper æstuosæ adeoque amœnissimæ erant. Vid. FARNABIUS in not. ad *Mercurial. Lib. IV. Ep. 47.*

§. IX.

Proinde etiam Neapolitani aeris salubritatem eximie deprædicat BARTHOLINUS de peregr. med. p. 28. his verbis: *Neapoli aer est saluberrimus ventilatur mari vicino & ab oriente quoque mons Apenninus pervius patet, solum quoque calidissimum* &

§ Sulphureum, quod aerem mundat corrigitque. De estate dicunt: (Quanto piu caldo, tanto piu sano;) quia semper aura ventilatur gratissima; & si cum Romano aere Neapolitanus commutetur, exitium inferri putatur, ob vapores ibi elevatos, nisi boreas spiret, vel pluvia largior superveniat. Experientia consentit QVERCETANVS in Diaterico, quia aer Neapoli subtilis, Romæ crassior, & mutatio periculosa ad contrarium, Romæ quippe aer per apertos ante poros penetrat.

§. X.

Celebratissimus autem in eodem tractu olim erat Mons ita dictus lactarius quem nunc il monte della torre vocant, vid. BACCIVS de Therm. Lib. IV. p. 260. cernitur ille prope Tabias seu Stabias, locum ob salubritatem aeris veteribus notissimum, Neapolim inter & Surrentum juxta Vesuvium montem situm, totusque herbosis & pinguibus pascuis Late virebat, in quibus, teste GALENO lib. V. meth. med. cap. 12. imprimis Gramen, Lotus, Polygalos, Melistophyllos, & ex Fruticibus Lentiscus, Arbutus, Rubus, Hedera, Cytisus copiose progerminabant. Magnis igitur numerosisque gregibus vaccæ eo ad pabula ducebantur harumque lac, ob saluberrimas istas herbas, tantæ bonitatis tamque eximiæ efficacæ credebatur, ut præfatus GALENVS suo ævo persuasissimum se tenuerit, nullibi locorum in universa Italia, lactis cura meliori & feliciori cum effectu usurpari posse, quam in lactario isto monte. Hinc tempore præsertim vernali tanta variorum ægrotantium, maxime vero phthisicorum, ibidem cernebatur frequentia, quanta hodieum ad Thermarum & Acidularum celebratissimos fontes vix deprehenditur, quoniam, teste supra citato BACCIO, omnis fere ævi Medici, præsertim Neapolitani, consueti fuerunt, pro ultimo refugio ægros phthisicos, & qui sanguinem expuebant, vel ejusmodi thoracis ulcera & alia vitia patiebantur ad Tabias mittere, cum successu adeo salubri, ut fuerint, qui totam in iis degere vitam decreverint. Huic enim ferocissima passioni, ut CASSIODORI verbis, lib. II. variar. cap. 10. utar, beneficium montis illius divine tribuerunt, ubi aeris salubritas, cum pinguis arvi fecunditate consentiens, herbas produ-

est dulcissima qualitate conditas, quarum pastu vaccarum turba saginata lac tanta salubritate conficit, ut, quibus Medicorum tot consilia nesciunt prodesse, solus videatur potus ille prestare, reddens pristino ordini resolutam passionibus vim Naturæ) De Suevia tandem salubritate vid. *diss. D. D. LITHENII*, anno proxime elapso 1735. Altorf ventilatam, quæ *Sciagraphiam salubritatis Sueviæ* proposuit & docte delineatam exhibuit. conf. etiam RAVCHII *Oratio de Austria salubritate.*

§. XI.

Dum ergo certa brevitatis gratia tantum loca, quæ à Veteribus pariter ac recentioribus Medicis salubriora potissimum reliquis iudicantur, ut ex hæcenus allegatis patet, plerumque editiora ac montosa sunt, puroque sereno atque sicco aere gaudent, nec non ventis borealibus & occidentalibus, vi sua expansiva effluviis noxiorum copiam dissipantibus eademque abinde repurgantibus, liberiores concedunt accessum, insuperque nec nimio æstu torrentur, nec nimio frigore congelantur, cælo patulo liberoque fruuntur, & tam Solis radiis, quam blandis ventis mediocriter exposita sunt: Merito utique exinde quilibet perspiciet, quod minime in recensitis tantum regionibus, sed ubique terrarum in primis autem in Germania nostra, cujus incolæ, cum TACITO perpetuam hyemem, triste cælum premere & malignis solum sterile sustentare, falso scripsit SENECA *Lib. cur. bon. vir. mala sunt, cap. IV. sub fine*, multa ejusmodi loca hinc inde occurrant, quæ sanitati & vitæ prolongandæ conducunt, siquidem ut ullum saltem hujus rei adducam testimonium, de Hassia (ad quam jure meritoque vicinam & conterminam meam patriam, Eichsfeldiæ nempe tractum referre licebit,) Dn. D. GRAVIUS, in *Proem. Diss. de salubritate Hassiæ*, testatur, pauciores hominum illic degentium numerum atmosphæræ injuria ægre habere, vel interire, eam forsitan ob causam, quod HERMANN. BVSCHIVS, referente CAMERARIO *Lib. III. Epistol.* aerem Hassiacum rosas spirare dixerit.

§. XII.

Premiis autem nunc iis, quæ variorum locorum salubritatem in genere spectant, utique operæ pretium erit, ut ad spe-

specialiora progrediamur, & ea qua fieri poterit perspicuitate
 ac breuitate demonstramus, cur & quomodo aeris locorumque
 mutatio tantum utilitatis ad sanitatem Conservandam ac res-
 taurandam conferat. In evitabilem igitur esse *aeris* necessi-
 tatem ad vitam cujuslibet in lucem edita nimantis prorogan-
 dam, ne tyroni quidem medico ignotum fore existimo, utpo-
 te qui non solum ab extra Corpora nostra immediate ambit,
 & cum alimentis subinde ingeritur, sed & continuo, pro fa-
 cilitando sanguinis per pulmones transitu, inspirari debet:
 In hoc enim Elemento, ejusque infima potissimum regione,
 idoneum seminibus rerum fovendis aptumque eorum in vitam
 productorum conservationi focum, juxta immensam suam sa-
 pientiam DEVS T. O. M. constituit, in eo etiam sanitatis &
 morborum, salubritatis & insalubritatis media ac instrumenta,
 secundum certas illius affectiones, ab eodem Omnipotenti
 totius mundi Conditore posita sunt, ita, ut aliter agat in cor-
 pora humana atmosphaera calida, aliter frigida, item sicca &
 tenuis aliter & denique aliter humida & crassior; aliter eti-
 am si variis heterogeneis noxiis, plus justo gravibus, aut ni-
 mium orgasticis, halituosis & fermentescentibus particulis, ali-
 ter si salubribus, puris ac temperatis imbuta sit; adeoque me-
 rito exinde concludere licet: quod nulla unquam salutaris pos-
 sit suscipi mutatio loci, ubi *aeris* non concurrat *salubritas*, cum
 nihil magis sanitati proficiat pariter ac officiat, quam pura &
 impura ejusdem constitutio. Hinc etiam olim jamjam Medi-
 eorum prudentissimi, ubi loci suadenda erat mutatio, eo po-
 tissimum respexerunt, ut ex aere minus salubri concedant ag-
 ri in puriorem & salubriorem, ad augendum humorum spi-
 rituascitiam & orgasmum vitalem, quibus restitutis amif-
 sa facilius redit sanitas, & ita promptior fit morborum proflig-
 gatio, sicuti enim teste experientia, sub transitu unius re-
 gionis in aliam, in sensibilibus & ejusmodi mutationibus
 minus aduetis subjectis, si imprimis ex subtiliore & puriore
 aere in uliginosum ac ecenosum deveniant, facillime excitantur
 morbi, ita ex adverso sanitas certius redit, si ex insalubri
 & impura atmosphaera in salubriorem transeamus.

§. XIII.

Deinde etiam salutarem ex loci mutatione expectandum effectum non parum adjuvat *aquarum salubritas*, quoniam hæ universalem constituunt liquorem, ad vitam conservandam, sanitatem & nutritionem animantium maxime necessarium, cujus ope intime inter se miscentur, ac uniantur Diversa illa sanguinem constituentia & nutritionis actum adjuvantia corpuscula, adeoque necessitas omnino postulat, ut puræ, simplicissimæ, & heterogeneis, iisdem alias communiter sese adfociantibus salinis muriaticis, aluminosis, vitriolicis, terreis, calcareis &c. particulis, non nimium inquinatæ sint, alias enim copiam impuritatum, in massa humorum jam jam existentium magis accumulunt, & plus detrimenti quam emolumenti sanitati afferunt. Hinc illæ maxime aquæ præferendæ sunt, & sub mutatione loci præcipue conducunt, quæ saporis omnis expertes, & quasi dulces deprehenduntur, si nempe pinguis argillacea terra fundum, ex quo scaturiunt occupat, nec non quæ levitate ac subtilitate alias superant, odore omni destituuntur, nec ad qualiscunque salini affusionem turbantur, suamque diaphaneitatem amittunt, & nunquam, etiam sub extremo frigore circa scaturiginem suam congeliantur. Tales enim ad parandos non solum cibos & consueta potulenta tuto adhiberi, sed & pro potu ordinario in simplici sua substantia, nisi ventriculi obstet debilitas, æstivo imprimis tempore, etiam copiosius assumi possunt, quoniam tali modo & laudabilem humorum crasin in subjectis sanis conservant, & occurrentem in ægrotantibus ipsorum dyscrasin emendant, sicque omni modo optatissimum effectum præstant. Harum ergo circumstantiarum intuitu JACOBUS GRANDIUS in *dissert. epistol. de sibus Appendicti decur. II. Anno VI. Ephem. Nat. cur. annexa*, Niloticam aquam omnium quæ in toto terrarum orbe sunt, saluberrimam esse, non dubitavit, quia omnes habet illas condiciones, quibus aquarum salubritatem commendat Magnus HIPPOCRATES *lib. de aere, aquis & Locis num. 14.* dum nempe ex editissimis Æthiopiæ partibus fluit, incrementum suum jugibus

bus pluviis imbrisque debet, quibus æstivis mensibus prædicti montes ordinarie madescunt, longissimum calidarum terrarum tractum percurrit, sicque a solis calore continuo percoquitur, ac insuper rore e caelo copiosus defluo; quotiescunque Nilus abundat, magis exaltatur, quippe qui, dum aërem purificat, ita ut universales morbi tunc desinant, insimul quoque aquam ipsam præstantiorem reddit, ut propterea præter hujus, vix alium sibi unquam elegerint ordinarium potum antiqui Egypti reges.

§. XIV.

Porro eximum etiam usum præstant mutationes aëris & loci, ob inevitabilem sub iisdem corporis exercitationem ac motum, utpote qui per se efficacissimum præbet remedium ad valetudinem tuendam & conservandam, ubi autem intermittitur, plerumque multorum magnorumque morborum causam simul constituit, adeoque & ad illos abigendos & removendos multum pariter confert, imprimis si moderatus & æqualis ille fuerit, sicuti deambulatio, vectio in curru, navi & equo, sub qua ordinarie, totum corpus ita undique concutitur, ipsaque viscera placide simul agitantur, ut sanguis pariter ac reliqui humores eo ipso ad promptiorem motum & circulum excitentur, atque hac ratione non solum magis attenuentur, resolvantur ac subtilisentur, sed & viscidiores & spissiores ipsorum ex glandulosis partium tubulis excutiantur, atque in cavitates excrementis colligendis & proscribendis destinatas transferantur. Recte igitur Lenis ejusmodi exercitatio non solum pransis cœnatisque a GALENO permittitur, sed & infirmis ac ægotantibus passim ab HIPPOCRATE imperatur. Melior tamen est, uti CELSVS Lib. I. de re med. cap. 2. monet, *sub divo quam in porticu; melior si caput patitur in sole, quam in umbra; melior umbra quam parietes aut viridaria efficiunt, quam qua tecto subest; melior recta quam flexuosa, ita tamen ut ubique modus & proportio teneatur: Indulgendum enim est animo, ut recte scribit SENECA de Tranquill. cap. ult. dandumque subinde otium, quod alimenti ac virium Loco sit: S in ambulationibus apertis vagandum, ut celo libero & multo spiritu*



*vita augeat attollatque se animus, quoniam sub continuo otio atque ignavia motus omnes, tam fluidarum quam solidarum partium torpent, se & excretiones cunctæ segniore sunt, & animus ipse torpore & insalubritate corporis sui, perinde ac illi, qui in pestilenti habitant regione impeditus, invalidus ac pene inutilis evadit, quod etiam in se ipso olim expertus est modo memoratus SENECA unde *Epist. 104.* refert, quod, cum ad febrim proludentibus venis, relicta urbe & aere illo, culinarum vaporibus, inter ædificiorum umbras, inquinato, profugisset ad ruris ac liquidioris auræ Laxitatem, recuperaverit sanitatem, excusso torpore. Plura vid. in *diff. Illustris BERGERI, de commodis exercitationis corporis.**

§ XV.

Denique cum multum etiam ad tuendam sanitatem & utilissimam illam moralium ac vitalium actionum harmoniam conferat ipsius *animi exercitatio & tranquillitas*, facile utique ex eo liquet, quantum ab ipsa sub aëris & Loci mutationibus, ad obtinendum salutarem istum scopum promittendum & expectandum sit: Hac enim ratione animus diuturnis curis ac negotiis defatigatus suavissime recreatur, ab omnibus iis, quæ curas, quæ sollicitudines injungunt, distringitur, e contra vero novis & hæctenus sibi incognitis rebus, quas idcirco avidissime lastrat, delectatur, sicque ingenti voluptate demulcetur, quæ dein ad vitæ & sanitatis conservationem plurimum contribuit, quoniam, uti pulchre in principio *Charmidis* scribit PLATO, *fieri non potest, ut anima male affecto, non corpus etiam una laboret, & rursus animus bene affectus vi sua, quoad fieri potest, optimum reddat corpus*; sicque exinde optime apparet, quod, qualis animus, talis spirituum motus; qualis spirituum motus, talis etiam cordis & arteriarum motus partiamque tonus & abinde pendens circulatio sanguinis; qualis denique sanguinis circulatio, talis quoque sanitas sit.

§. XVI.

Maxime proinde ad comparandam & conservandam hæc utilissimam sub loci mutationibus animi tranquillitatem conferunt conjunctæ ut plurimum visitationes amicorum

rum, conversationes & colloquia cum iisdem in conviviiis, utpote sub quibus ille magis adhuc exhilaratur, excitatur & roboratur, unde etiam veteres Romani & Byzantini inter summa deliciarum genera peregrinationes retulerunt, ipseque MENEDEMVS Philofopus apud LAERTIVM Lib. II. *segm.* 133. *Philofophus* dictus est, quod nempe ad loci insalubritatem vel evitandam vel minuendam frequentius inter amicos hospitesque in conviviiis exhiberaverit animum, cuius sultura corpus quoque susinetur. Hinc etiam LVDOVICVS CORNARIVS, in *tr. de vita sobria commodis*, ejusmodi conversationem inter oblectamenta & voluptates suas præcipuas, quas in ætate octoginta trium annorum adhuc capiebat, non immerito retulit, eamque inter causas sanitatis & longævitatæ suæ numeravit, dum ita scribit: *Excurro etiam quotannis ad aliquam e civitatibus vicinis, ut amicorum fruam aspectu & colloquio, & præterea artificum præstantium in architectura, pictoria, sculptoria, musica & agricultura, qualium hoc ævo magna copia. Inspicio eorum opera, confero cum antiquis & semper discō aliquid, quod gratum nosse. Lustrō palatia, hortos & antiquitates, loca publica, templa & munitiones, nec quidquam omitto, unde possim discere & voluptatem capere. Oblector quoque plurimum, cum proficiscor, initu & reditu considerando pulchritudinem locorum & eorum situm: quorum alii in plano, alii in colle, vicini fluminibus vel fontibus multis structuris & hortis exornati.* Sic quoque eandem ob causam huc referenda est interposita exercitatio animi jucundis & utilibus cogitationibus, ac præsertim in amœno & salubri literarum studio, quæ uti animum mirifice erigunt, ejusque vires in immensum adaugent, sic corpus etiam, vividiores in cerebro undas motusque excitando, magnopere recreant, prout ex propria id ipsum testantur SENECA & modo nominatus CORNARIVS quorum ille *Epist.* 79. *Philosophia* acceptum tulit, quod surrexerit & convaluerit; hic vero l. c. sic de oblectamentis suis pergit: *Non me tædet vita mea, quam ego magna mea voluptate transigo. Sæpe offertur occasio colloquendi cum viris præstantibus, qui ingenio moribus litteris, aliisque virtutibus excellunt. Cum talium deest copia trado me lectioni alicujus libri eruditi, & po-*

sea scriptioni, id in omnibus inquirens, quo possim juvare alios, quantum vires meae permittunt.

§. XVII.

Cum ergo tanta sit mutationis aeris & loci efficacia ad sanitatem praesentem conservandam & obsirmandam, uti haecenus demonstravimus, facile utique exinde concludere licebit, non minorem eam fore ad sanitatem deperditam restaurandam, quod idem nunc per rationem pariter ac experientiam paucis confirmaturus sum. In genere igitur illa quam maxime suadenda esse videtur in omnibus affectibus diuturnioribus, habitualibus, omnium medicamentorum vim eludentibus, nondum tamen ad illum vehementiae gradum deductis, ut vires nimium quantum abinde exhaustae & viscera indurata, tono suo admodum destituta, aut penitus corrupta sint. Hinc omnium maxime convenit subjectis ex hypochondriaca & scorbutica affectione non intimius radicata laborantibus, utpote quorum pathemata mirum in modum mitigari solent ab alieno puriori aere, motuque corporis sub ejusmodi mutationibus inevitabili, quo ipso dein retardatus sanguinis motus suscitatur stagnationes ejusdem resolvuntur, necessariae se & excretiones restituntur & adjuvantur, humoresque crudiores ac viscosi hinc inde collecti, abiguntur & expelluntur. Ne dicam de liberiori ac tranquillo animi statu, qui in hypochondriacis, communiter curis anxii & tristibus, continuisque angoribus magis inhaerentibus, maximopere desideratur, & per itinera in loca amœna jucunda, rerumque novarum plena optime acquiritur.

§. XVIII.

Similem egregiam utilitatem monstrant etiam ejusmodi mutationes in *febris chronicis*, tam intermittentibus, quam lentis & hecticis, a depressa laudabili sanguinis & humorum crassi, multorumque sordium viscidarum in massa sanguinea, primis viis & organis colatoriis facta, accumulazione oborientibus, quæ tamen omnia, si æqualis exercitationis motu corpus agitur, blandusque ac proportionatus aer, particulis elasticis expansivis instructus & sulphure balsamico

præ-

præditus, quo spiritus revocillantur & sanguinis motus for-
 diumque transpiratio halitiosa promovetur, accedat, facilius
 saepe, quam optimis medicamentis, tolluntur, prout in seipsis
 experti id testantur *SENECA in Epist. suis, BONGARSIVS Epist.*
VII. ad Camerarium, & Phil. MELANCHTON Lib. V. Epist. p. 608.
 Sic & in ipso Hydrope, magis tamen incipiente, quam con-
 summato, aeris & loci mutationem non parum quandoque
 prodesse, Testatur *Epiſban. FERDINANDVS in Consult. suis p.*
33. his verbis: Neapoli hydropeicos ad agrum Puteolanam, tabidos
ad tabias relegant, & ego Messapia nonnullos egros, sive tabidos, sive
hydropeicos, maxime quando divites sunt, ad aerem S. Angeli, vulgo
Toſtini dimitto, & non sine maxima egrotantium utilitate. Hinc
 etiam in morbis a spirituum defectu, & sanguinis ac humo-
 rum dyscrasia originem suam capientibus, egregium solamen
 adferunt ejusmodi mutationes, quoniam aer, si imprimis pu-
 rior ac temperatus fuerit, adjuvando & augendo insensibilem
 transpirationem, ab impuritatibus heterogeneis eosdem liberat,
 & spiritus, pro quibus secernendis aptissimam insimul
 præbet materiam, reficiendo, vires, quæ ex ipsorum copia na-
 scuntur, efficaciter erigit, eamque ob causam jam olim *GALE-*
NVS Lib. de uteri cura, corpore languentibus peregrinationem
 & equitationem commendavit, & *SENECA Epist. 85.* itinera
 ista, quæ segnitiam sibi excuterent, & valetudini & studiis
 prodesse judicavit.

§. XIX.

Non minus etiam proficiunt tales mutationes in *spasmo-*
dicis & convulsivis nervorum morbis, ab anomalo & per habi-
 tum acquisito irregulari spirituum motu communiter profici-
 sentibus, dummodo non adeo gravi ac manifesto quodam
 vitio laborant viscera, nec non in *Vertigine* graviore, *Melan-*
ebolia, ipsaque *Mania,* quatenus nimirum, aer peregrinus &
 laudabilis sanguinis diathesin & crasin immutat, spiritibusque
 eum quibus intime sese miscet, novam indolem ac motum
 imprimit, ut ita conjunctæ partium obstructions humorum-
 que stagnationes facilius postmodum referantur ac tollantur.
 Hinc *HIPPOCRATES Sect. II. Aphor. 45.* testatur, quod sine *Ep-*
ilepsie

lepha in juvenibus afferant aetatis, LOCI & victus mutatio; & quod in infania regiones mutare debeant aegri, sique mens redeat, annua peregrinatione jactandi sint, dudum prodidit CELSVS Lib. III. cap. 18. Sic quoque dolorem capitis chronicum ac periodicum, singulis nempe pleniluniis ordinarie recurrentem, tandem mutatione loci sublatum fuisse, refert LOSSIVS Lib. I. obs. 13.

§. XX.

Quantum ad *pectoris* affectus curandos, in specie autem *Hemoptisin* & exinde saepius propullulantem *Phtisim* abigendam valeant aëris ac cœli mutationes, Veteres Medici dudum optime agnoverunt, & id circo Romani agris talibus navigationem in Egyptum & Alexandriam majorem in modum commendabant, Neapolitani vero eos ad Tabias mittebant, ut supra jamjam §. X. innuimus vid. CELSVS Lib. III. cap. 22. p. 158. qui etiam in omni *tussi* peregrinationem utilem esse testatur Lib. IV. cap. 4. p. 189. PLINIVS Lib. V. Epist. 19. & CICERO Lib. de claris orator. cap. 16. Hinc etiam complures recentiorum Medicorum illos in eo imitati sunt, speciatim autem MORTONVS, qui in tr. de *phtisim* Lib. I. cap. 3. & quidem in illa potissimum ejus specie, quæ ex sanguinis & spirituum defectu oritur, migrationes in aërem apricum & salubrem commendat, quippe quibus plus quam reliquis medicamentis, nervorum & spirituum confortatione, appetitus & hilaris animi recuperatione, & consequenter tabis ingruentis præcautione, experientia multa edoctus, obtineri asserit. Sic quoque Celeberr. SYDENHAMIVS, eandem procul dubio ob causam, conjunctam nempe simul aëris & loci mutationem, in *phtisim* non solum, etiamsi magis inveterata illa fuerit, sed & in podagra, colica, malo hypochondriaco, aliisque rebellibus affectibus, equitationem mirum in modum Laudavit & imperavit, addita tamen hac conditione, ut satis Longa itinera aegri emetiantur, atque ruri potius, in aëre salubri, quam in urbe, ubi aër vaporibus, a variorum artificum officinis exhalantibus, est repletus & aedificiorum densitate est

con-

constipatus, exercitatio ista suscipiatur. *Vid. ejusd. opuscula
universa p. 524. & 591.*

§. XXI.

Tandem etiam in *ecthymaticis affectibus*, & qualiscunque efflorescentis cutis, ulcerosis ac pustulosis, scabie rebeli, Lepra & falsis cutim inquinantibus defluxionibus, si aliis ordinariis remediis cedere reculent, itidem mutationes admodum proficuae erunt: Cum enim incommoda ista potissimum a salibus peregrinis in M. s. imprimis Lympha cumulatis, ex aëre præhumido, vappido & saluginoso communiter haustis, nec per glandulas subcutaneas porosque debite iterum secretis, oriantur, facile utique exinde quilibet perspiciet, ante omnia opus esse ut Locus & aër mutentur, & quidem talis atmosphæra seligatur, quæ purior, salibusque non adeo imprægnata est, ac insimul transpirationi & foridum salinarum secretioni per cutis spiracula promovendæ favet. Hinc etiam est, quod in diuturnis *ulceribus & fissulis* sanandis adeo eximiam & admirandam efficaciam mutationes istæ exhibeant, prout hoc exempla a RIEDLINO, *lin. medic. Ann. 95. p. 256.* BORRICHIO in *act. Hafniens. volum. III. obs. 43. p. 76.* & Turqueto de MEYERNE *Consil. de phribis.* fusius recensita, demonstrant. Sic quoque eodem ex fundamento, pro obtinenda vulnerum quorundam consolidatione, absolute interdum aëris & loci mutatio requiritur, quoniam pro indole locorum in certo aëre facilius eandem admittunt, quam in alio, testante inter alios id ipsum Celeb. PARÆO *Lib. X. cap. 8.* ubi refert, quod vulnera capitis difficiliter curentur Lutetiæ, quam Avinionis, & vice versa, vulnera pedum facilius sanentur Lutetiæ quam Avinionis additque rationem, quia Lutetiæ aër frigidior & siccior vulneribus capitis insensus esset, aër vero Avinionis calidus humorum fluiditatis & subtilitatis causa existeret, unde humores facilius ad pedes devolverentur, eaque propter vulnerum sanationem difficiliorem redderent.

§. XXII.

Licet autem ex hæcenus adductis abunde nunc pateat

inſignis illa utilitas, quæ ab aeris & loci mutatione tam ad conſervandam, quam reſtaurandam ſanitatẽ expectanda eſt, minime tamen propterea adſtrũere lubet, quod omnibus indiſcretim ea ſuadenda, aut proficua æſtimanda ſit, cum per quotidianam conſtet experientiam, quod ob conſuetudinem ſæpiſſime aer nãtivus, utrut minus ſalubris, quam alius peregrinus, tamen inſignem præ hoc teneat prerogativam, ſæpiusque extra patriam profectos perpetuo valetudinarios eſſe, nec prius perfectam conſequi ſanitatẽ, quam poſt reditum in patriam. Hinc prudenter ſemper & ſuadendæ & inſtituendæ ſunt ejuſmodi mutationes, habito imprimis reſpectu ad ſubjectorum conſtitutionem & temperamenta, ut nimirum graciles & ſicciores veluti melancholici atque cholericæ & ad phthiſin diſpoſiti a nimis fervido ſibi caveant, & temperatum potius humidumque quarant; obesi vero & ſucculenti, ſanguinei nimirum & phlegmatici, ſenes, paralytici & nervorum imbecillitate afflicti, aliisque pectoris affectibus obnoxii, frigidiorẽ, montanum & ſeptentrionalem ærẽ evitent; ut plethorici mutationem talem ſuſcepturi ſanguinis prius ventilationem per V. Snem, aliique humorum impuriorum evacuationem per alvum aut alia loca inſtituant, omnesque exceſſivas & impetuoſas æris qualitates & injurias, nimium nempe æſtum & frigus dum qualecunque iter ſanitatis cauſa ingrediuntur, ſedulo evitare allaborent, ut ita ſaluberrimus hæcenus deſcriptus tanto facilius obtineri queat ſcopus &

F I N I S.



* * *
Cum labor & virtus pretiosa bravia ministrent
Cur non ex tantis patriæque, tibi que tuisque
Gloria nascatur studiis? Te spectat Eponis!
Gratulor inde Tibi, supremum culmen honoris
Protinus ascendas? mortisque à Lege per ævum
Sis liber! vivas multis! vigeasque medendo!

*Hæc sincera mente apprecari solebat
Nobilissimo Neo-Doctorando pa-
triotæ suo.*

P. Æ. K.

* * *
Haud minor est virtus, tristes dispellere morbos,
Quam terris hostem pellere posse suis;
Bella gerit miles, Medicus delere ferales
Ad mortem causas, non sine laude studet;
Quod cum pro patriæ demonstras posse salute,
Patria felicem te jubet esse Virum.

*Ex specialis Amicitie titulo Nobilissi-
mo Domino Defendenti applau-
dens posuit.*

P. C. R.

* * *

LAUDE Tua fulges, propria virtute coruscas,
Cum Studium Medicum tanto conamine tractans
De Cathedra modò sis *perfecti* Nomen adeptus;
Gratulor hos titulos virtutis, & apprecor ipsa
præmia, quæ Medicis gaudet præstare Galenus;
Virtutem similis comitetur gloria tantam!

Quibus omnia fausta merenti Nobilissimo Domino Doctorando adoptabat.

F. R. W.

* * *

PER specimen docta ostendis Clarissime LEMKE
Laude reportata Condecoratus abis
Quo pede cæpisti, pergas, Tibi gloria surget
Gratulor & Studiis prospera fata precor.

Pauca hæcce

*Nobilissimo ac Doctissimo Domino Respondenti
Amico suo dilectissimo in Signum constantis
erga ipsum amoris apponere debuit*

Joh. Franciscus Vogelius,
Briloniens. ex Duc. VVestphaliae Med. Stud.

183) o (183



OO A 6318

ULB Halle 3
002 933 500



SB

VD 18

Reho ✓ V D 17





Q. D. B. V.

IO INAVGVRALIS MEDICA,

DE

ATIS CONSER-
E ET RESTAVRA-
ER AERIS ET LOCI
VTATIONEM,

QVAM

VNIVERSITATIS MAGNIFICO,
LTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO VIRO,
MAN. PAVLO JVCH,

COMITE, FACVLTATIS MEDICAE SENIORE, PA-
OR. PVBL. ET ASSESSORE PRIMARIO, SERENISS.
ENSIS, ISBNACENSIS ET GOTHANI CONSIL.
ARCHIATRO, N. N. ACAD. CAESAR.
NAT. CVRIOS. COLLEGA,

ICORVM ORDINE IN PER- ANTIQVA
1 GRATIOSE INDVLGENTE,
PRÆSIDE

IE JOANNE STAHLIO,
NT. CONSIL. ET ARCHIAT. FAC. MED. ASSESS. ORD.
T BOTAN. PROF. PVBL. ORD. ET P. T. DECANO,
NON CIVITATIS CONSVLE,
PROMOTORE SVO COLENDISSIMO,


RADV DOCTORIS

ARTE SALVTARI PRIVILEGIIS
VE IMMVNITATIBVS
SOLENNITER ADIPISCENDIS,
VDITORVM EXAMINI SVBMITTET
VTOR AC RESPONDENS

CISCVS BERNARDVS LEMKE,
Duderstadiensis.

JORI COLLEGH MAJORIS HORIS CONSVETIS
III. AVGVSTI M DCC XXXVI.

Typis HERINGII, Acad. Typogr.



Farbkarte #13

B.I.G.